

logica uberius laboriosiusq; explicata reperies
in Apologetico CL. Dn. D. Resenij eruditissimo.
Nunc ad rei definitionem.

C A P. II.

De cœli definitione, causis & affectionibus.

Cœlum est corpus naturale simplex,
perspicuum, tenuissimum, purissi-
mum, in hoc universo amplissimum,
sphæricum, elementarem mundū pro-
ximè ambiens, astrorum domicilium.

Definitio hæc ex varijs accidentibus cœli de-
sumitur; quippe cuius natura nobis est igno-
rator; interim definitum satis explicat.

Dicitur corpus naturale, id est, constans
suis principijs materiâ & formâ. Ex Aristotelis
autem sententiâ non erit naturale; cui cœlum
non est ulli mutationi obnoxium, nec generabi-
le nec corruptibile, nec ex eâdem cum inferiori-
bus materiâ; que tamen omnia non asseri-
mus. Ex Aristotelis enim varijs locis definitio
cœli talis colligi potest: Cœlum est corpus nec
grave nec leve, nec generationi & corrupt. ob-
noxium, nec alterabile aut augmentabile; sed
solum in orbem mobile.

Est autem cœlum corpus simplex distinctum
& distinctæ naturæ ab elementis: unde Aristo-